



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

An in his sit contradictio: in hac vita nunquam est clausum ostium  
paenitentiae, nec unquam cessat relabendi periculum: & tamen continuus  
frequensquè relapsus saepiſimè signum est insufficientis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

## CAPUT XIII.

*An in his sit aperta contradictio : in hac vita nunquam est clausum ostium pœnitentiæ , nec unquam cessat relabendi periculum : & tamen continuus frequensque relapsus sæpissimè signum est insufficientis prioris conversionis ?*

**A**ffirmat Appendix um. 273.  
 Verùm futilis est ista contradictionis objectio. Nunquam pœnitentiæ ostium clausum est. Semper quippe hîc potest lapsus peccator legitimè pœnitendo & veniam consequi, & ad justitiam resurgere. Nunquam etiam cessat relabendi periculum, quia hîc, ut dicam cum S. Prospero, *Sive ut aliis* *Quantalibet quis excellentiâ sanctitatis emineat,* *Iul. Pomer.* *quantalibet eminentiâ perfectionis excellat, potest* *l. 1. de vita* *quidem fieri pro modulo hujus vitæ perfectus : sed* *contempl. c.* *1.* *non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de casu sollicitus.* Sed quid horum non verum est, tamen si continuus frequensque relapsus sæpissimè signum fit, ejusmodi non debite esse conversos? Quæ ergò hîc aperta est contradictio, ubi nulla est vel apparens repugnantia? Rectè autem docet Manuductio, continuo frequen-

142      C O N V E R S I O  
quentique relapsu suspectam fieri conversionem.

§. I.

*Primus gradus recidivorum qui non sunt  
conversi.*

**S**unt enim quibus non peccare displicet, sed ardere: ac per hoc non Dei offensam metuunt, sed ejus commissæ supplicium. Per optatum sæpè ejusmodi foret, posse & suis se affectibus ut lubet indulgere, & pœnarum quas metuunt reatu liberari. Illum autem cum pœnitentiæ Sacramento tolli credunt, hoc & ipsi frequentant, commissorum confessionem instituunt, etsi à committendis nondum decernant abstinere, aut mores mutare: quapropter permanent vivere ut vixerunt, & cupiditatibus suis, ut soliti sunt, obsequi. Hos nemo vel dubitando suspicari potest debitè conversos.

§. II.

*Secundus gradus recidivorum qui non sunt  
conversi.*

**S**unt alii, quos supra tetigi, quibus nonnihil peccatum displicet, ac placeat Dei servitus; sed adhuc tenui compla-

pla-